

1950

D E C A S

Epigrammatum Sacrorum,

DE

*Adventu, Nativitate, Circumcisione, & sacro Nomine*

DOMINI NOSTRI

IESV CHRISTI,

Devota mente conceptorum:

A C

*Loco Strenæ, in symbolum gratitudinis*

A

STEPHANO BORNEMISZA, Ungaro.

DEDICATORVM.

BCU Cluj / Central University Library Cluj



LUGDVNI BATAVORVM,

Anno 1632. XIIII Ianuar.



*Nobilissimis, Amplissimis, ac  
Consultissimis Viris,*

D. D. PRÆTORI, CONSULIBUS,  
SCABINIS, totique inclytæ Reip. Leydenfis  
SENATVI gravissimo.

NOMINATIM VERO

D. IACOBO VERBOOM,

D. IOANNI ORLERS,

D. GUILIELMO PAETS, J. U. D.

D. CAROLO GALLO.

*Celeberrima Reip.  
Leydenfis Consuli-  
bus Prudentiss. stu-  
diorum ac studiofo-  
rum Macenatibus  
optimis.*

UT ET

D. IOANNI WEVELICHOVEN, J. U. D.

Florentissimæ Reip. Leydenfis Syndico dignif-  
simo, Fautori meo honorando.

NEC NON

*Reverendis, Doctiss. ac maxime piis viris Dominis Pastoribus  
Leydenfis Ecclesia vigilantissimis,*

D. FESTO HOMMIO, S. S. Theol. Doctore exi-  
mio, & Collegii Illustriss. D. D. Ord. Regenti vigilan-  
tissimo.

D. LUDOVICO de DIEV, Orientalium Lin-  
guarum peritissimo, Fautori meo colendissimo.


*Dominis ac Mæcenatoribus meis, summâ obser-  
vantia colendis.*

*Hoc exile munus, in symbolum ac mnemosynon debite  
gratitudinis & observantia,*

*Dicat ac Consecrat.*

STEPHANVS BORNEMISSA, Ungarus,  
S. Theol. & Med. Studiosus.





STRENA  
ONOMASTICA.

**S**Trena tibi sanctum prognati nomen Iesu  
Sit, qui oculis releges carmina nostra tuis.  
Solamen tibi sit Iesus, gratumque levamen;  
Per Iesumque tibi, sit simul una salus.

EURIPHALLICON

DE

ADVENTU IESVLI.

**E**Cælo veniens pulcherrima Summi-To-  
nantis  
En gratum æternæ mortalibus integritatis  
Fert donum, Soboles: inimicos exsuperare  
Vis Stygis? æternas adipisci cœlicolarum  
Vis sedes? colito Deitatem carnigerentem,  
Et vinces Stygiis horroribus Induperantem.



ONOMASTICO-  
EVCHARISTICON.

I-esse-idi. Sacro-Sancta pi- I jam nomina Christ- I  
E-ja agite o merita c- E- lebremus laudis honor- E.  
S- iderea nam vi Ies- S- eus plenus Iesu- S,  
V- icit salvifico Infern- V- m olim corporis ort- V,  
S- ceptraque Tartarei Duci- S insidiosa refringen- S,  
S- qualida commissi S- celeris peccamina solu- S,  
A- bluit, absolvit merit- A & nos sanguine paen- A.  
L- audibus ergo ejus ce- L- ebretur nomen in Israe. L;  
V- nica namque salus c- V- nctis in nomine Ies- V  
A- llata est : Sathan- Ae selerata potentia adci- A,  
T- artarei & Crucia- T- us justis nuc procul absun- T.  
O- benedicta Dei Sob- O- les ! o vita & orig- O!  
R- obore jam nobis o- R- tus reserabitur athe- R  
Mortis itemque tua, vita- M & carpemus amana- M.  
V- nus es ipse Deo nat- V- s, dulcissime Ies- V,  
N- omen in Orbe tuum Cu- N- Etis sit suave levame. N  
D- a, referant ut huic D- a debita vota nec illu- D  
I- lludant Gentes, qu- I- n laudent mente fidel- I.

## In nascentem JESULUM.

**I**esule, chara Dei Soboles, descendere Olympo,  
In faciem terræ, te quis adegit? amor.

Iesule, te fragiles assumere corporis artus,  
Virginis ex utero, quis vè coëgit? amor.

Iesule, cum Rex sis, regales spernere cunas  
Pro præsepi humili, quis tibi suasit? amor.

Iesule cum mortis victor sis, terror & Orci,  
Currere in Ægyptum, te quis adegit? amor.

Grande mihi narras divini robur amoris,  
Quo genus humanum, Iesule amando beas:

Iesule, quæ tanti in homines tibi causa favoris?  
An pietas hominum? non: bonitas Superùm.

Quantus amor regnat Jessæi in pectore Christi.  
Quanto complexu perfruimurque Dei.

## In Natum JESULUM.

**Q**uem lucis non urget amor? cûi lumina Lune,  
Cûi nitida stelle, non in amore forent?

Quis Solis non lumen amat, cum cœlitis umbra  
Pellitur, atque decens rebus imago venit?

Quis nati Iesu suavi non flagret amore,  
Lumine qui superat sidera amœna poli?

Titan & Iesus; nobis dat uterque salutem,  
Nosque inopes neuter luminis esse sinit.

*Hic lumen fidei, radios jacit ille salubres;  
Mentibus hic cibus est: corporis ille salus.*

In Θεωθεωτων I E S V L V M.

**I**ndignus licet ipse tuus sim, *Iesule*, servus,  
Sit mihi fas Dominum pauca rogare meum;  
Quomodo, si *Deus* es, fragili de sanguine cretus?  
Quomodo, si es *Genitor*, Virgine matre fatus?  
Quomodo, si *Puer* es, terram, mare, & astra creasti?  
Quomodo, si *Æternus*, tempore factus *Homo* es?  
Quomodo, si aërias plumis tegis ipse volucres,  
Quomodo, te nudum frigida adurit hyems?  
Quomodo, si Divûm es *Stirps*, circûscinderis artus?  
Quomodo, si *Legis lator* es, hancæ subis?  
Quomodo, si es *lenis*, sternis terrore *Draconem*?  
Quomodo, si *Fortis*, mitis ut agnus obis?  
Scilicet es verus *Deus*, ac *Homo*, *Jesule*, verus;  
Inde Dei atque hominis munera vera geris.

In formosum I E S V L V M.

**C**hriste tuam in sacris Tabulis dùm cerno fi-  
guram,  
Nobile dùm speculor corporis atque decus;  
Mentis

Mentis ibi utque oculis faciem contemplor amœ-  
nam,

Dùm frontem, os, cerno, talia metra cano:  
Sunt pulchræ sylvæ, sunt pulchra & littora, pulchrũ  
Est pratum, in viridi gramina pulchra solo:  
Sunt pulchræ gemmæ, sunt lucida sydera pulchra,  
Sunt pulchri flores, est quoque pulchra dies:  
Angelus est pulcher, pulchra est pia Virgo Maria.  
Pulchrior est *Christus*, Virgine, & Aligero:  
Pulchrior est *Iesus*, sylvis, & littore, prato,  
Gramine, gemmâ, astris, flore, dieque simul.

## In circumcisum I E S V L V M.

**A**gne Dei, teneros qui circumcilius es artus,  
Si *Rex* es, cur non limina regis habes?  
Si te regna timent, cur non te scepra venustant?  
Cur non mēbra thronus Sardonychatus habet?  
Si Deus es, stabuli cur duro in stramine cumbis?  
Cur non te Angelicus cœtus in axe tenet?  
Sic ego: sed contra mihi *Christus*; limina regis,  
Scepra, thronum, cœlũ, tegmen, ademit amor.  
O prægandis amor! locuples ô gratia *Christi*!  
Quâ sine nulli hominum janua ad astra patet.

DE

ARCHANGELO AD MARIAM ablegato.

**H**Eus homo! Virgineo de semine natus Jesus,  
 An non est Numen, vel sine labe caro?  
 An non est requies? auxiliumque polo?  
 An non est Fatum fontibus, atque metus?  
 An non est justis, gratia? vita? salus?  
 An non est animæ spes? medicina? cibus?  
 O quot virtutes latitant in corpore parvo!

EPIGRAMMA

DE

ARCHANGELO AD MARIAM ablegato.

**A**ngelus ad Mariam legatur ab æthere Princeps  
 Pandat ut æterni nuntia lata *Patris*;  
 Siccine: sola tuo placuisti fœmina Christo,  
 Sola salutiferum es gignere digna *Ducem*:  
 Miraris quisquam, tantum legasse *Ministrum*  
 Virginis ad sanctæ limina forte Deum?  
 Ne mirère viros legatio se legit orbis,  
 Eligere Aligerum sic sacra *Fama* potest.

F I N I S.